



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 11. An licet aliquando simulare Sacramentum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

Q. IO. *An grave sacrilegium committit, qui tentat conficere Sacramentum, cuius conficiendi potestate caret?*

Resp. Aff. Quia 1. gravem irreverentiam Christo infert, volendo gerere ejus personam, & ejus nomine aliquid valdè sacrum agere, cum non sit ab eo deputatus. 2. Facto suo falsam doctrinam profitetur. 3. Proximum in re gravi decipit.

Q. II. *An licet aliquando simulare Sacramentum?*

Resp. I. Nunquam licet sub mortali simulare administrationem Sacramenti. Prob. exc. 7. de celebrat. Miss. 2. Quia Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Urgens metus gravis, est justa causa Sacramentorum administrationem simulandi.* 3. Gravis est irreverentia in Christum, ita abuti verbis ac rebus sacris ab eo institutis ad verum Sacramentum, & reipsa est illudere Christo, cuius personam simulator se agere exterius fingit. 4. Est reale mendacium in re gravissima; exercitè enim & suo facto talis dicit se nomine & personâ Christi, v. g. absolvere, baptizare, cum sciat hoc non fieri.

Resp. II. Item semper est mortale simulare susceptionem Sacramenti. Quia defectus intentionis veræ illud suscipiendi impedit effectum cujusvis Sacramenti; etiam Eucharistiæ, imò valorem sex aliorum, quæ consistunt

stunt in actione transeunte; nam ad horum valorem & Eucharistiæ effectum requiritur in adulto suscipiente vera intentio saltem habitualis suscipiendi. At est grave sacrilegium reddere irritum vel inutile Sacramentum; est enim gravis irreverentia in Christum ejus auctorem. Hinc ad vitandum quodvis malum non licet sub mortali scienter ministrare etiam consentienti, vel recipere hostiam non consecratam pro consecrata. Quia per se malum est scienter proponere alteri puram creaturam adorandam cultu divino, & ponere per se causam idololatriæ etiam materialis. Tunc autem hostia non consecrata exponetur adorationi tum adstantium, qui committent idololatriam materiale; tum illius, qui cum externa reverentia illam hostiam suscipiet, sicque scienter admittet idololatriam externam: quod est intrinsecè malum, sicuti est adolere thus coram idolo, quamvis interiùs tantùm intendas te pascere ejus odore; quia nempe tunc exhibetur illi cultus externus.

Q. 12. *An licet conferre Sacramentum indigno, seu non rite disposito ad ejus effectum?*

Resp. Qui tali scienter vel imprudenter confert, per se loquendo peccat mortaliter. Quia I. quilibet dispensator tenetur fideliter & prudenter dispensare, juxta voluntatem Domini sui. ex I. Cor. 4. *Hic jam queritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Ergo pec-